

*matorum* accuratè conveniunt. REITZIUS, pessimus interdum Novator, pro *Ein Hertz und eine Seele.* substituit *Ein einzig Hertz und einige Seele.* Subjunxit præterea variantem lectionem ex exemplari Cantabr. *Und es war kein Unterscheid unter Ihnen.* FELBINGERUS nil novi invenire potuit, HEDINGERUS itidem eadem verba retinuit, & TRILLERUS hodegum LUTHERUM secutus, bono nunc tramite incessit.

§. II.

Historiam quod LUCAS *Θεόπνευστος* consignaverit, quæ ad usque annum post natum Christum sexagesimum secundum pertingat, omnes fere uno mecum ore fatentur; Peculiarem ergo historiam de *claudio sanato Cap. III.* legimus, & cum PETRUS id virtute divina CHRISTI factum, publice doceret, Judæosque ad pœnitentiam & fidem in Christum hortatus, persecutionem & carceres expertus esset, id *Capite IV.* recensetur, ut tandem adjiciantur credentium post liberationem Apostolorum effusæ preces, pro dissipandis Evangelii hostibus, & singularis Spiritus Sancti præsentia, ac divina ad verbum DEi prædicandum excitatio; quæ omnia excipit nostrum Thema:

§. III.

Circa scrutinium Thematis mei grammaticum, dam nihil, quod referam, habeo, præterquam tersa verba, nitidam constructionem, & fortean quædam quoque emphatica; Si & Rhetoricæ præcepta ac fundamenta hic quæro, revereor Spiritum Sanctum hic accurate disponentem, & argumentum illustratione quadam manifesta inferentem, quo felicius scopus illius ac intentio animis nostris sese ingerat, & si causam admirabilis